UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Theses Theologicae Quibus exhibentur quaedam Observationes circa aliquot Propositiones De Furto, Compensatione Occulta, & Restitutione, Inter LXV. A SS. Domino Nostro Innocentio XI. Condemnatas

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1684?]**

Pertinens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40553**

Visual Library

# CONCLUSIO QUARTA.

*Præter titulum rei acceptæ, & injustæ acceptionis, datur alius obligans ad restitutionem, ad quam etiam aliquando tenetur mandans revocato mandato ante executionem.*

IN Propositione 39. dicitur : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum damnum tertio, non tenetur ad restitutionem damni illati.* Communis est Theologorum passim omnium sententia, quod non solùm injustus executor verùm etiam cooperator, ut jussor, consultor, teneatur ad restitutionem damni illati : nec mirum quandoquidem ejusmodi cooperator cum ipsomet executore influat ac ponat damnum tertii : imo quamvis executor ponat physicè damnum, cooperator ( ut in primis patet in jussore ) sæpe moraliter loquendo magis illud ponit, quàm executor.

Porrò in hac materia restitutionis, duo utiliter quæruntur : quorum primum, an verùm sit neminem teneri ad restitutionem nisi ratione *rei acceptæ* vel *injustæ acceptionis ?* Ad quod Resp. adjungendum esse tertium titulum nimirùm ratione contractûs saltem impliciti. Nam pone quempiam pecuniis alterius apud se depositis, aut sibi commissis ad transferendum per viam, vitam suam alio quam istarum pecuniarum titulo à prædonibus periclitantem redimisse ; procul dubio tenebitur ad restitutionem, nimirùm ratione contractûs impliciti quo censetur in traditione istarum pecuniarum se obligare ut opportuno tempore restituat ; non autem ratione rei acceptæ ( cum ea penes ipsum amplius non sit ) nec ratione injustæ acceptionis, quia supponuntur tales circumstantiæ ut nihil injustitiæ fuerit commissum in traditione dictarum pecuniarum. Similiter qui in via à grassatoribus spoliatur equo, quem amicus ei commodavit, ad restitutionem tenetur, ratione contractûs saltem impliciti, non autem ratione rei acceptæ nec ratione injustæ acceptionis.

Prætereà, non abs re fuerit examinare an verum sit, quod multi dicunt : etsi consultor retractato consilio ante executionem sæpè maneat obligatus, non tamen jussor retractato mandato ? cui iterum resp. non esse istud universaliter verum de jussore, etiam ponendo quod jussor cum mandato non det instructionem : Ratio est quia fieri potest ut mandans impresserit mandatario vi sui mandati aliquam corruptionem sive malam voluntatem, quam etsi conetur, non ideo tamen revocatione mandati efficaciter retractet : siquidem quotidianâ experientiâ discimus, corruptiones voluntatis in quovis genere peccati sæpè non tolli retractatione dictorum facta per illos, qui exstiterunt corruptionis primi authores : sicuti incendia non semper exstinguuntur conatibus illorum, qui fuerunt prima origo.

Ut ad Propositionem 39. quæ hujus excursionis occasionem dedit, redeamus : Authores Speciminis rursus queruntur quod illa imputetur *Baunio:* hunc enim dicunt solummodo docere non obligari ad restitutionem qui precibus induxit, nullam imponendo obligationem præcipiendo, comminando, &c. Hæc in favorem *Baunii* Authores Speciminis qui vel his concessis admittere debent quod, insistendo circa probabilia principiis illorum quorum patrocinium susceperunt, unius *Baunii* authoritas posset in hac materia à restitutione quempiam excusare, etsi millerii doctissimi & probatissimi eum ad restituendum condemnent. Vide Theses nostras de Opinione Probabili Conclus. 2.

## PERTINENS.

*UT Propositioni alicui assentiaris necessum est ut consideratis omnibus sive intrinsecis sive extrinsecis motivis quæ nosti tam pro veritate quam pro falsitate propter illa judices potius veram, quàm falsam esse ; ergò sua opinio cuique est probabilior quam opposita : si proindè tibi ad securitatem sufficiat opinio tibi probabilior ( quod nimirùm tua actio sit licita ) admittere debes cuivis suam opinionem esse securam morum regulam ; quod est manifestè falsum & summè pernitiosum.*

FINIS.